

ce, & esto sana à flagello tuo.] Egreditur uirtus à Christo, non à loco in locum transiens, sed manens immota in Christo: communicatur & alijs, quemadmodum & doctrinæ à docentibus sunt, & discipulis traduntur. Vide autem quomodo turbæ quidem cōprimant, & ex eis nullus illū tetigerit: contrā, illa quæ nō premebat, illum tetigerit. Mysterium hic quoddā discimus, quod nullus ex his qui turbulento sunt animo tangit Christum, sed solum premit eum. Qui autem non premit Iesum, neque turbato est animo, ille tangit eum. Sed quamobrem dominus manifestat mulierem? primum quidem, ut fidem mulieris glorificet: deinde, ut & archisynagogum animet quod & eius filiam sit sanatus. Ad hæc, ut mulierem à magno metu liberet. etenim timebat mulier, utpote quæ sanitatem furtim abstulerat: idcirco & Euangelista dicit, tremens & timens. Venit igitur dominus, non dixit, Ego te seruauit: sed, fides tua. Proinde uade in pacem, hoc est in requiem, ut sit hæc sententia, Abi, & quieta esto, quæ hactenus fuisti in mœrore & dolore.

Adhuc eo loquente ueniunt à principe synagogæ, qui dicerent: Filia tua mortua est, quid ultra uexas magistrum? Iesus autem protinus audito sermone qui dicebat, ait principi synagogæ: Ne timeas, tantummodo crede. Et non permisit, ut quisquam se sequeretur, præter Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi. Et uenit in domum principis synagogæ, uidetque tumultum, ac flentes & eiulantes multum: & ingressus, ait illis: Quid tumultuamini & ploratis? puella non est mortua, sed dormit. Et irridebant eum. Ipse uero eiecit omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & eos qui cum ipso erant. Et ingreditur eam ubi puella erat iacens, & apprehensa manu puellæ, ait illi: Tabitha, cum mihi: quod est, si quis interpretetur: Puella, tibi dico, surge. Et cōfestim surrexit puella, & ambulabat. Erat enim annorum duodecim. & obstupuerunt stupore magno. Et præcepit illis uehementer, ne quisquam id sciret: & iussit ut daretur illi quod ederet.] Familiares principis synagogæ arbitrabantur Christum esse ex doctoribus quendam, propterea obsecrabant, ut ueniret & oraret super puellā: & quia iam mortua erat, putauerunt ultra nō opus esse, eo quod mortua esset: sed ille patrem animat, & inquit, solum crede. Non permittit autem ullum alium esse comitem, quā tres discipulos. Neque enim Iesus humilis ad ostentationem quippiam uult facere. Dicente autem eo, Non mortua est puella, sed dormit: derident, ne possint postea dicere quod in excessu mentis correpta fuerit, & non fuerit miraculum eam suscitare: unde deriserunt eum, quod diceret illam nō mortuam, sed dormire. Manum uero apprehendit, ut uirtutem ei imponat. Et iubet ut deus ei quod comedit: quod certius credat resurrectio uere, & non apparenter tantum facta.

CAPUT VI.

Egreffus est illinc, uenitque in patriam suam, & sequuntur eum discipuli sui. Quumque adesset sabbatum, coepit in synagoga docere: multique audientes obstupuerunt, dicentes: Vnde huic hæc? & quæ est sapientia, quæ data est illi: & uirtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nōne hic est faber ille, filius Mariæ, frater Iacobi, & Iose, & Iuda, & Simonis? Nōne & sorores eius hic nobiscum sunt? Et offendebantur per eum.] Ascendit ad patriam, non ignorans se contemptum iri: sed ne posthac dicere queant, si uenisset. Reprehēdebat autem & inuidiam illorum mentem. Oportebat sanè magis gloriari de domino, qui suam patriam ita ornaret & doctrina, & miraculis: atqui ipsi despexerunt illum ob humilitatē generis: tam atrox malum est inuidia. Semper enim obscurat bona, nec illa ab inuidis uideri sinit. Et nunc multi quosdam quasi ignobiles arguunt, qui tamen omni honore digni sunt. Qui sanè haud bene sentiunt, & nequiquā generose.

Dicebat autem illis Iesus: Non est cōtemptus propheta, nisi in patria sua, & inter cognatos, & in familia sua. Et non poterat ibi uirtutem ullam ædere, nisi quod paucos infirmos, impositis manibus sanauit, ac mirabatur propter incredulitatem illorum.] In genere dicit dominus omnes prophetas cōtemptos in patria sua, & in domo sua, & inter cognatos suos. Nam si nobiles habent amicos, inuident illi eis, & propterea cōtemnunt: si autem ignobiles, iterum propter ignobilitatem contemptui habent. Non

potuit igitur illic uirtutes facere, nō quod ipse infirmus esset, sed quod illi increduli. Par-
cit igitur eis non faciendo signa, ne signa eis ad maiorem sint condemnationem, neque
sic credentibus: & idcirco facit illic uirtutes. Vel aliter: In uirtutum operationibus opus
est eius qui facit, uirtute: & eius qui suscipit, fide. Quia autem illic defuit alterum, nem-
pe sanandorum fides, nō potuit illic signum facere Iesus. Ita enim intelligere debemus,
non potuit, id est non capaces erant.

Et obambulabat per uicos undiq; circumiacentes docens. Et accersit duodecim, coe-
pitq; eos emittere binos, ac dabat illis potestatem aduersus spiritus immundos. Et prae-
cepit illis, ne quid tollerent in uiam, nisi uirgam tantum: non peram, non panem, non in-
zona æs, sed calciarentur sandalijs, & ne induerentur binis tunicis: & dicebat eis: Vbi-
cunq; introieritis in domum, illic manete donec exeatis illinc. Et quicumq; non recepe-
rint uos, neq; audierint uos, exeuntes illinc, excutite puluerem qui est sub pedibus ue-
stris in testimoniū illis. Amen dico uobis, tolerabilius erit Sodomis aut Gomorrhis in
die iudicij, quā ciuitati illi.] Nō in solis ciuitatibus docebat dominus, sed & in uicis:
ut nos discamus paruas non despiciere, neq; semper magnas querere ciuitates: sed & in
contemptis oppidulis prædicemus, seminādo sermonem. Non solus autem ipse docet,
sed & duodecim mittit binos, quo & alacriores sint. Nā si unum misisset, fuisset unicus
ille minus alacris. Iterum si plures quā duo, non suffecisset numerus in plures pagos.
Eccles. 4. Duos igitur mittit. Meliores em sunt duo quā unus, dicit Ecclesiastes. Prohibet autē
eis quippiā tollere, uel peram, uel æs, uel panem: docens per hæc illos à diuitiarum stu-
dio esse debere alienos, & qd' his q' illos uidēt grati sunt futuri, quā agnouerint pauper-
tatem tantam, eo quod nihil habeant. Quis em uiso apostolo, q' neq; peram, neq; panē
qui maxime necessarius est tollat, non bene afficeretur, & se ad diuitiarum cōtemp-
pararet: Porro in una domo manere illos iubet, ne uideātur propter gastrimargiam in-
constantes esse, ab alijs ad alios transeuntes. Apud illos autem, qui eos non accipiunt, iur-
bet ut excutiant puluerem, demonstrantes quod longam uia propter illos uenerint, &
nihil profuerint: uel quod nihil ab eis acceperint, & ne puluerem quidem, quem etiam
ipsum excusserunt. Ita ut hoc sit in testimoniū illis, hoc est in reprehensionem. Amen
enim dico uobis, quod tolerabilius erit Sodomis & Gomorrhis in die iudicij, quā his
qui non susceperint uos. Sodomitæ enim puniti in hoc seculo, leuius in alio seculo puni-
entur. Insuper illis non sunt missi apostoli: ij uero apostolos non susceperunt, meritō igitur
grauius hi quā illi punientur.

Et egressi prædicabant, ut resipiscerent: & dæmonia multa eiiciebant, & ungebant
oleo multos ægros, & sanabant.] Quod unxerint oleo apostoli, solus Marcus narrat,
Iaco. 5. quod & frater domini Iacobus in catholica epistola dicit. Infirma quis inter uos, aduo-
cet seniores ecclesiæ, & orent super illum, ungentes eum oleo. Est igitur oleum & ad
labores utile, & lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum, significatq; misericordiā dei,
& gratiam spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem ac gaudium, & hilaritatem
spiritualem accipimus.

Et audiuit rex Herodes (innotuerat enim nomen eius) dicebatq;: Ioannes ille, qui ba-
ptizabat, resurrexit à mortuis, & propterea uirtutes agunt in illo. Alij dicebāt: Elias est.
ali j uero dicebant, propheta est, uel tanquā unus ex prophetis. Quum audisset autem
Herodes, ait: Cui ego prædici caput, Ioannes iste est, ipse surrexit à mortuis.] Hic He-
rodes fuit filius eius, q' pueros occiderat: & licet tetrarcha esset Herodes, eū tamen regē
dixit, simpliciter usus nomine. Igitur ille quum audiret miracula domini, & sciens quod
immerito & absq; causa iustū Ioannē occidisset, suspicatus quod surrexisset à mortuis,
& p' resurrectionē in se uirtutē accepisset operādi miracula. Ioannes em prius nullū mi-
raculum fecerat. Herodes autem putabat signorum operationem ei ex resurrectionis
uirtute aduenisse. At ali j dicebant, Elias est: reprehendit enim multos, ut quum diceret,
O incredula natio. Herodes autem timebat, adeo miser erat ut & mortuum timeret.

Nam ipse Herodes missis satellitibus manus iniecerat in Ioannem, & uinxerat eum
in carcere propter Herodiam uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam uxorem.

Dicebat

Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autē insidiabatur illi, uolebatq; occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannē, sciens eum uirū iustum ac sanctum, & obseruabat eum, auditoq; eō multa faciebat, & libenter eum audiebat. Interferit hoc loco Marcus narrationem de morte Ioannis Baptistæ, occasione sumpta. Dicunt autem quidam, quod Herodes rapuerit Herodiam uiuentē Philippo, & quod reprehensus fuerit, ut prauaricator qui abduxerit uiuentis fratris uxorem. Alij autem, quod mortuus quidem fuerit Philippus, reliquerit autē filiolam: & quum filiam reliquerit, non debebat Herodes uxorem fratris ducere, etiam post mortem. Lex enim tunc iubebat fratrem fratris uxorem ducere, quum non superesset puer. Nunc autem illi erat filia. Illegitimæ igitur erant. Vide autem quid non faciat amoris rabies: & quantum ualeat. Ecce enim Herodes Ioannem, quem in tanto honore & reuerentia obseruabat, ut libidini satisfiat, contemnit.

Et quum dies opportunus accidisset, quum Herodes in natalitijs cœnam faceret primatibus ac tribunis, & primoribus Galilææ, quumq; introisset filia ipsius Herodiadis, ac saltasset, placuissetq; Herodi, ac simul accumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quod uis, & dabo tibi. Et iurauit illi, quicquid à me petieris, dabo tibi usq; ad dimidium regni mei. At illa egressa, dixit matri suæ: Quid petam? Illa uero dixit: Caput Ioannis Baptistæ. Et ingressa statim cum festinatione ad regem, petiuit dicens: Volo, ut protinus des mihi in lance caput Ioannis Baptistæ. Et dolore affectus rex, propter iusiurandum, eosq; qui simul accumbebant, noluit eam reiicere. Et confestim rex misso spiculatore iussit inferri caput eius. At ille abiit ac decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in lance, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri suæ. Quo audito, discipuli eius uenerunt, & susceperunt cadauer eius, posueruntq; illud in monumento. Mira collusio. Saltat per puellam diabolus: fit iusiurandum impium & nepharium, immo stultum. Nequam autem mulier dicit: Da mihi protinus, hoc est statim hac hora. Insuper uero & amore captus Herodes, iusiurandum implet, & iustum propter illud occidit. Oportebat hic per iurum fieri, & non tam abominabile facinus perpetrare. Non enim ubiq; honestum, seruare quod iuraris. Spiculator miles, carnifex est, deputatus in hoc ut occidat. Cadauer, id est corpus. Postquam enim detruncatum est caput, corpus quod deciderat, cadauer dicitur. Accipere hoc potes & spiritualiter. Herodes enim dicitur populus pelliceus ludæorum. Duxit autem uxorem, uanam & ementitam gloriam, cuius filia adhuc saltat & tripudiat apud ludæos, nempe scripturarum cognitio qua seducuntur. uidentur enim sibi cognoscere scripturas: Veruntamen non sic habet res: nam Ioannem detruncarūt, hoc est propheticum sermonem: & absq; capite, hoc est Christo, illum habent.

Et congregantur apostoli ad Iesum, ac renunciauerunt ei omnia, & quæ egissent, quæq; docuissent. Et ait illis: Venite uos soli seorsim in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui uenirent & abirent multi, ac ne cibum quidem capere uacabat. Et abiit in desertum locum nauigio seorsim. Et uiderunt eos abeuntes, turbæ: & agnouerunt eum multi, & itinere pedestri ex omnibus ciuitatibus cōcurrerunt illuc, & prauenerunt eos, conueneruntq; ad illum. Apostoli postquam prædicauerunt, congregantur apud Iesum: ut & nos discamus, si quando in ministerium mittamur, ne nos totos ab eo qui mittit abripiamus, sed illum sciamus caput, & ad illum redeamus, annūciemusq; ei omnia quæ uel docuimus, uel fecimus. Neq; enim satis est si doceamus, nisi & fecerimus. Quiescere autem facit Christus discipulos, ut sciant prælati, laborantes in uerbo & doctrina, dignos quibus detur sua quies, & non semper intendant laboribus. Porro in locum desertum secedit, ut inanis gloria uitetur: sed neq; eo loco latere potest quærentes. Adeo autem uigilabant illi, ne se effugeret, ut & prauenerint apostolos, & abiuerint in locum ubi Christus quietem habiturus erat. Sic & tu praueni Iesum, ne expectes, ut ille te uocet, sed præcurre, & tu magis illum prauenito.

Et egressus uidit turbam multam Iesus, & affectu misericordiæ tactus est erga eos: quia erant uelut oves non habentes pastorem. Et coepit illos docere multa: & quum iam multum temporis præterisset, accesserunt ad illum discipuli eius, dicentes: Desertus est

locus, & iam multum temporis est, dimitte illos, ut abeant in circumiacentes uillas ac uicos, emantq; sibi panes: nam quod edant, non habent. At ille respondens, ait illis: Date illis uos quod edant. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denarijs panes, & demus illis quod edant. At ille dicit eis: Quot panes habetis? Ite & uidete. Et quum cognouissent, dicunt: Quinq; & duos pisces. Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes, distributis conuiuijs in uiridi gramine. Et discubuerunt diuisi in areolas centeni & quinquageni. Pharisei quum essent pestilentes ac rapaces, non pascebant populum, sed deuorabant: propterea relictis illis, ad Christum uerum pastorem turbæ congregantur, unde & ipse alimoniam eis suppeditat. Et primum, utiliore & honestiore, nempe uerbum suum: deinde & corporalem. Vide autem discipulos, quomodo in misericordia proficiant, Misericordia enim moti erga turbas, accedunt ad Christum, & pro illis orant. Dominus autem tentans & probans, num suam agnosceret uirtutem, quod possit illas alere, ait: Date illis uos ut edant. Illi autem & arguerunt eum, ut ignorantem quanta laborarent rerum penuria, & quanta populi esset multitudo. Nonihil enim grauati animo dicebant: Emamus ducentis denarijs panes, & demus illis ut edant. Deniq; recubere facit omnes in foeno separatos: hoc est enim distributis conuiuijs, id est diuersis mensis: quod iterum designat dum dicit, diuisi in areolas, hoc est multas partes & sectiones. Areolæ enim, dicuntur uariarum sectiones in hortis, in quibus plantantur uaria olera.

Et quum accepisset quinq; panes & duos pisces, sublati in coelum oculis benedixit, ac fregit panes, deditq; discipulis suis, ut apponeret illis: & duos pisces diuisit omnibus. Et comederunt omnes, ac saturati sunt, & sustulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos & de piscibus. Et erant qui comederant panes, quinq; millia uirorum. Suspicit in coelum, partim nos docens a deo petere cibum, & non a diabolo, id quod faciunt, qui iniustis prædijs uiuunt: partim monstrans turbis, se non esse aduersarium deo, quem inuocabat. Porro discipulis dat, ne miraculi obliuiscantur, quia suis manibus tenuissent panes. Residui autem sunt duodecim cophini eadem de causa, ut suis quicq; humoris unum gestantes, memoria rem seruarent. Virtutis autem magnitudo indicatur, quod non solum illi pascuntur, sed & multa relinquuntur residua. Moses enim, quamuis manna dedit, sed pro singulorum usu: nam quod supererat, uermiculis scaturiebat. Elias quoque uiduam pascens, suppeditabat quantum satis erat. Iesus autem ut dominus, etiam residua facit. Et hæc quidem iuxta historiam. Verum iuxta Anagogen: Quinq; panes, sunt libri Moysi, qui quinque sunt, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, & Deuteronomium. Duo autem pisces, piscatorum libri, Apostolus, & Euangelium. Illis enim pascuntur quinq; nostri sensus, qui per quinq; millia signantur. Verum non possunt omnia edere, sed multa residua relinquunt, quæ apostoli gestare possunt. Nam difficiliore sensus legis & Euangeliorum, nos quidem quinq; sensibus seruietes non portamus, sed apostoli.

Et statim coegit discipulos suos conscendere nauim, ut præcederent transmissio mari Bethsaidam, dum ipse dimitteret turbam. Et quum dimisisset eos, abiit in montem ad orandum. Et quum uespera aduenisset, erat nauis in medio mari, & ipse solus in terra, uiditq; eos laborantes in remigando. Erat enim uentus contrarius eis. At circa quartam uigiliam noctis uenit ad eos, ambulans super mare, & uolebat præterire eos. At illi ut uiderunt eum ambulantem super mare, putauerunt spectrum esse, & exclamauerunt. Omnes enim uidebant eum, & conturbati sunt, & statim loquutus est cum eis, dixitq; eis: Confidite, ego sum, ne terreamini. Et ascendit ad illos in nauim, & conqueuit uentus. Et uehementer supra modum intra sese stupebant & admirabantur. Non enim intellexerant de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum. Cogit discipulos. Nolebat enim auelli ab eo, sed ut separabantur: partim propter amorem erga illum, partim quod dubitabant quomodo nam ad ipsos rediret, quum abesset nauis. Dimissis itaq; turbis, ascendit in montem, ut oraret seorsum. Quiete enim & imperturbatione opus habet preces. Cæterum discipulos tentari permittit, ut discant patientiam. Nam propterea non statim illis assistit, sed tota nocte sinit in tempestate esse, ut doceat fortes esse, & non in principio tentationum sperandam requiem. Obserua & aliud, quod daturus sinem rerum difficultatibus,

Exod. 16.

3. Reg. 17.

difficultatibus, in maiorem illos terrorem adducit. Viso igitur illo clamauerunt turbati, tanquam in phantasmate: & statim per uocem succurrit eis, dicens: Ne terreamini. Deinde & per ingressum in nauim, maiorem illis securitatem parit. Confestim enim con- quieuit uentus. Magnum autem miraculum, ambulare super mare: & quum esset tanta tempestas, tam que contrarius uentus, miraculi incrementum erat. Apostoli autem quum non intellexissent de panibus, ex hoc miraculo in mari intellexerunt. Videtur sane Chri- stus & propter hoc permisisse illos tentari, ut quoniam à panibus eum non cognouis- sent, notitiam à mari perciperent.

Et quum traiecissent, uenerunt in terram Genezareth, & applicuerunt in portum. Quumque egressi essent de nauis, cōtinuò agnouerunt eum, ac percurrentes totā undiq; regionem illam, coeperunt in lectis eos qui male habebant circumferre, quum audissent eum illic esse: & quocumque introisset in uicos, aut in ciuitates, aut in uillas, in plateis pone- bant infirmos, & deprecabantur eum ut uel fimbriam uestimentis eius tangeret: & quor- quot tangebant eum, salui fiebant.] Aliquanto tempore, ut uidetur, peregrinatus est dominus in loco illo, eo quod Euangelista dicit: Quum agnouissent illum, attulerunt in- firmos. Non enim in domos ipsum uocabant, sed ipsi afferebant eos qui male habebant, obsecrantes ut illis uel fimbriam uestimenti tangere liceat. Nam miraculū quod in mu- liere quæ sanguinis profluuiū laborabat, ad omniū aures peruenerat, fidemque auxerat.

C A P V T V I I.



T conueniunt ad eum pharisæi, & quidā de scribis qui uenerant à Hiero- solymis: & quum uidissent quosdam ex discipulis eius communibus ma- nibus, id est illotis edere panes, incusabāt. Nam pharisæi & omnes iudæi, nisi cubitaliter lauerint manus, nō capiunt cibū, tenentes instituta maiorum: & à foro uenientes, nisi loti fuerint, non comedūt. Et alia multa sunt quæ susceperunt seruanda, nempe lotiones poculorum & urceorum, & ærumentorum, & lectorum. Deinde interrogant eum pharisæi & scribæ: Quare discipuli tui non ambu- lant iuxta traditionem seniorum, sed illotis manibus edunt panem? Discipuli domini docti solam uirtutem amplexari, & in alijs nō esse superstitiosos, illotis manibus come- debant simpliciter, & absque curiositate. Pharisei autem quærentes conuicij occasionem, illud reprehendunt: neque reprehendunt illos ut transgredientes legē, sed traditiones se- niorum. Non enim in lege scriptum: Lauandum cubitaliter, hoc est usque ad cubitum. Cubitaliter enī dicitur à cubito usque ad extremos digitos. sed hoc erat à senioribus traditū.

At ille respondens dixit eis: Bene uaticinatus est Esaias de uobis hypocritis, sicut scri- ptum est: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me: inuanum au- tem me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Nam omisso præcepto dei, te- netis constitutiones hominum, ablutiones urceorum & poculorum, aliaque similia his fa- citis multa. Et dicebat illis: Bene, reiicitis præceptum dei, ut constitutionem uestram ser- uetis. Moses enim dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam. & qui maledixerit pa- tri uel matri, morte moriatur. Vos autē dicitis: Si dixerit homo patri uel matri, corban: quod est, donū quodcumque ex me, in tuum cedit commodum. & præterea non finitis eum quicquam facere patri suo aut matri suæ: & irritum facitis uerbum dei per constitu- tionem uestram quam tradidistis. Et similia huiusmodi multa facitis.] Ut grauius ar- guat dominus iudæos, adducit & prophetā à quo taxantur. Illi enim discipulos argue- bant, quod seniorum traditiones præuaricati essent, dominus autem eis impingit crimē longe grauius, quod Mosis legem præuaricarentur. Lex enim dicit: Honora patrem & matrem. uos autem docetis pueros, ut dicant ad parentes, corban: hoc est, donum & ob- latum deo, quod quæris ex me. Pharisei enim uolentes deuorare ea, quæ erant plebeio- rum, docebant pueros, si quid haberent, uelut peculium: & quæreret parentes, diceret: Iam consecraui hoc deo: ne ultra quærant iam oblatum domino. Igitur sic decipiebant pueros, & simul persuadebant eis, ut consecrarent deo quæ haberent: quo parentes faciebant contemnī: ipsi autem deuorabant deo sacrata. Propterea arguit eos domi-